

Similiter & omnia alia que antecessores nostri superius nominati in privilegiis suis antiquitus statuerunt volumus observare tam super purgatione ferri candidi quam etiam mulieribus in soluto matrimonio inpregnatis. Preterea si qui de vestra civitate penes vos in mari rapinas velint exercere & pacis jam predictae federa perturbare, ipsos de vestra civitate in perpetuum exuletis & hoc nos idem circa personas talium facere volumus, ubicunque prope partes nostras poterunt inveniri. Preterea petimus instancius, ut illos qui de nostris partibus ad vos veniunt, veluti vestrates, & nos illos qui de vestra veniunt civitate veluti nostrates ad invicem mutuo diligamus.

847.

1250—1266.

KON. WALDEMARS och BIRGER JARLS Bref rörande Prestmannen THINGOLFS och dess Broder NICOLAI gåfva af Gudstenstorp till Alvastra kloster.

A. 3. v. 1: 5. b. *)

WALDEMARUS deus gratia rex sveuorum. Et byrgerus eadem gratia dux svechorum dicti regis pater. vniuersis christi fidelibus presentes litteras inspecturis. salutem sanctis omnibus repromissam. In nostro tempore. que generuntur. ne cum lapsu temporis. pariter labantur. & nequa possit eis in posterum calumpnia suboriri. litterarum apicibus. & virorum prudentium testimonio volumus perhennarij. Elucescat ergo presentibus pariter & futuris. quod diuina inspirante gratia religiosus vir Thingolfus presbiter. cum fratre suo. Nicolao. in suorum remissionem peccaminum. & eterni patris misericordiam promerendam. predium suum in gudstenthorp cum vniuersis appendiciis suis aluestrensi monasterio perpetuo tradiderint possidendum, Testes huius donacionis sunt cognatj & vicini eorum. & prouinciales vniuersi. Dictorum igitur virorum donacionem auctoritate nostra firmam monasterio stabilemque facere volentes. ne processu temporis inportuna calumpnia possit reuocari. facere hoc. mandarj litteris volumus & sigilli nostri munimine roborarj. Quicunque igitur contra presens scriptum. ausu temerario contraire presumpserit. omnipotentis deus vindictam & sanctorum eius. nec non & nostri gladii vlcionem. se Nouerit incursum.

*) I en odaterad vidimation af Östgötha Lagmannen KNUT JONSSON.